

num, quo hostilem Triadem secundum modum c durum, ut par est, modulari pari ratione cogat. Tunc toni ita inter se sunt constitui, ut maxima adsit dissonantia. uid. num. V. Trias foederata, astutia, imprimis Tertiae peieratione, Diapason in tam inopinatum abripuit modum. Diapason autem vi atque potentia Triadem peieratam nunc iterum secundum antiquum canere modum coget, atque hoc ut sit efficacius septima, quem tonum Angliae attribuere uolumus, auxilio ueniens ad coercendam Triadem foederatam accedet, ut nolens uolens Trias in antiquum iterum modum redeat. uid. num. VI

XIII

Quemadmodum Diapason nunquam crediderat Tertiam, fidem, iureiurando firmatam, fracturam, inque tam alienum modum cum Fundamento et Diapente abituram, sic quoque Trias foederata uix sibi persuadere poterit, ut in priorem iterum rediret modum secundum uoluntatem Diapason. Posterius ita certe fiet, ut, prius factum fuisse, audiuimus

XIII

Fundamentum iam ad priorem redire modum se praeparat. Toni enim C et A, ita sunt uehementes, ut fundamentum H plane cessare cogatur, uid. num. VII. Tam diu stetit ac potuit, uires autem debilitatae id diutius facere uetarunt

XV

Hoc ubi C et A uiderunt, Fundamentum nempe Triadis foederatae cessare, tam diu laborarunt, usque tum semel adhuc cessare cogeretur, quo facto deinde Septima,

B 3

prae-